



## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Sebastiani Henrici Penzingeri, Consistorialis  
Passaviensis, Decani, & Parochi in Trauttmansdorff ad  
Laitam Bonus Ordo Triplicis Formatæ Concionis Moralis In  
Omnia Festa Sanctorum In Amplissima ...**

**Penzinger, Sebastian Heinrich**

**Solisbaci, 1698**

Disc. VII. Castissima vixit. Quàm castè Maria in terris vixerit, figuris ac similitudinibus deducitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51763](#)

# DISCURSUS VII.

*Sancta Dei Genitrix, castitate Angelos superavit, & homines.*

**I**N virginitatis Mariæ laudem canit sponsus immortalis. *Odor unguentorum tuorum super omnia aromata.* Cant. 4. Aromate nimirum olim corpora mortuorum condiebant, ut saltem à vi odorum aliquod vitæ simulacrum conservarent; ad condiendum Jesu Christi Corpus cæteræ mulieres sua attulère aromata. Virgo tamen Maria nihil unquam aromatis atrulisse legitur, quia castitatis ejus odor, quæ Virgines superavit, & Angelos, super omnia aromata erat incorruptionem Virgineo corpori conservandam. S. Ambroſii hic sensus est, lib. 1. de virginitate Virg. ita scribentis. *Vide quem nobis tribuas Virgo processum, primus enim odor tuus super omnia aromata, qua in Salvatoris missa sunt sepulturæ, & mortuos corporis motus, membrorumq; redoleret obiisse delicias.* Cur ex incorruptâ Virgine, Pater futuri sæculi nasci voluerit, causam ingeniosam reddit Richardus Victorinus. lib. 1. de Emm. cap. 12. ut scilicet à Virgine castissimâ primum nascens immortalitatis pignus sortiremur. *Accepit ergo natura humana in Beata Virgine quæsi quandam arrham, vel primitias futura incorruptibilitatis sua, integratatem incorruptibilitatis virginea.* Debebatur castitati huic præcellentí honos, ut per eam nobis, & Author virtutæ, & immortalitatis pignus obveniret. Quam præ Angelis, & hominibus præcellentem Virginis Matri castimoniam, & nos dignissimis SS. Patrum ss. Patres, encomiis exalteamus. *Degebatur quidem in carne, conversabatur supra carnem, carnisq; molestias nesciebat, talis profecto erat, ut nulli usui servaretur, nisi divino. testatur S. Laurentius Ju-* s. Laurentianus, serm. de Annunt. B. V. *Erat enim candidata multis ius Justi- meri manus,*

f 2

meritorum virtutibus, & dealbata nive candidior,  
Sancti muneribus simplicitatem columba in omnibus represen-

ta  
tans: quoniam quidquid in eā gestum est, totum purum, &  
plicitas, totum veritas, & gratia fuit, totum misericordia,

& justitia, qua de cælo prospexit, & ideo immaculata, qua  
in nullo corrupta. scribit S. Hieronymus. tom. 9. epist. 10. de  
Assumpt. B. V. ad Paulam, & Eustoch. Angelicam denique

terrâ adepta est puritatem, & Dei similitudinem; merito  
predicatur pulchra, que, & divinam, & angelicam similitud-

nem in terris est adepta. perorat Richardus à S. Victore. cap. 10.  
à S. Victore. in Cant. Castello non incongrue Virgo Maria assimilatur, quia

virginitas mentis, & corporis, quasi murus undique vallans, &

nullus unquam libidinis ad eam esset accessus, nec sensus quicunq;

S. Anselm. quâ corrumpentur illecebra. discurrit S. Anselmus. homilius  
per illud Lucæ. 10. cap. intravit Jesus in quoddam castellum  
Non incongrue ergo Virgo Maria Civitas Dei appellatur, quia

virginitas mentis, & corporis, quasi murus ita ex omni parte  
lavat, ut nullus unquam libidinis accessus adesset, & omnius

S. Bruno. cus à sua virginitatis corruptione decesset. consentit S. Bruno  
serm. 1. de laud. B. Mariæ. Quae est hac portanisi Mariæ  
clausa, quia Virgo. Porta igitur Maria, per quam Christus  
intravit in hunc mundum, quando virginali fuisse est pars, &

genitalia virginitatis claustra non solvit: maneat intemerata  
septum pudoris, & inviolata integratatis duravere signata

cum exiret ex Virgine, cuius altitudinem mandus sustinere  
posset. subscribit S. Ambrosius. lib. de Institut. Virg. cap.

Concludit tandem Sophronius in cap. 2. Cant. Si diligenter  
aspicias, nihil virtutis est, nihil speciositatis, nihil candoris  
riæq;, quod non ex eâ resplendeat, ideoq; bene eam circum-

flores rosarum, & lilia convallium, ut virtutes virtutibus  
ciantur, & formositas candore castitatis augeatur. Quia nos

speciosis Conceptibus augere possimus, gratiam Sancti ab eâ enixe flagitabimus.

S. Ambro-  
sus.

Confirmatio seu Decisione.

**CONCEPTUS I.**

Thronum Regium sibi Salomon pretiosissimè extrui, & ab optimis artificibus de ebore præparari fecit. *Non est factum tale opus in universis Regnis.* 3. Reg. 10. cap. Ars quidem miranda, magis tamen, de quâ factus est thronus, stupenda est materia; cur de ebore thronum suum Rex fieri jussit? An forte thronus hic Salomonis de ebore factus est grandis, ut Verbi incarnati thronum animatum dignè præfiguraret? summam Virginis castitatem indicaret? Filium Dei, & Virginis, *sapiensissimum Salomonem, Patri sapientiam,* intitulat Petrus Damianus. serm. de Nativ. Virg. Sedes itaque regia, castissimum corpus Dei Matris est, thronus Salomonis de ebore grandis, Virgo Maria. Ita de cā seraphicē scribit S. Bonaventura, orat. de Nat. B. V. *Thronus vero Salomonis est Maria grandis in gratia, & gloria, ita ut nullus Angelus, nullus Sanctorum ei aquari posset, thronus ille grandis, de quo dicitur: Fecit Rex Salomon thronum de ebore grandem.* Accinit Mariæ Sponsus Cant. 5. cap. *Venter ejus eburneus, distinctus Saphiris.* Quam igitur uterus Mariæ virginalis cum ebore connexionem habet? omni flore ac nive candidius, & omni ferro frigidius ebur est; throno Salomonis de ebore grandi comparatur immaculatum Virginis Mariæ corpus, quia flore ac nive candidius, castitate Angelos superat ac Virgines; venter ejus eburneus, quia ab amore hujus seculi alienus, ferro vehementius frigescet. Unde eam sicalloquitur S. Augustinus. serm. de Incarnatione. *Tu tota pulchra, tota formosa, tota delectabilis, & tota gloriosa, tu maculâ nulla fuscaris, tu omni decore vestiris, tu omni sanctitate distaris: tu super omnes virtutes sancta in carne, tu cunctas feminas vincis pulchritudine carnis, & omnes Angelicos Spiritus excellentiam sanctitatis.*

**CONCEPTUS II.**

Experienciâ teste docemur, quod, quidquid in profundis, & umbrosis vallibus situm est, nive candidius efflorescat; sic  
f. 3. natus;

natus ab origine candor præ cæteris floribus lilia convallum commendat: sic prosapiâ nobiles fæminæ umbram in vallis, & refrigerium continuò quærunt, ut corporis albedinem conservent, & teneritudinem: sic susurrantes in imis valliori crystallo clariores eluescunt. In Mariam semper Virginem *Spiritus Sanctus supervenit, & virtus Altissimi obambrat eam.* Luc. 1. cap. ac proinde natus ab origine candor castitatem ejus, supra Virgines effloruit, supra Angelos excellentiore exxit: Ancilla Domini in profundissimæ humilitatis valle deluit, & in candidissimum lilyum excrevit, cuius odor suavitatis filium Altissimi in uterum virginalem attraxit, cuius in militatem respexit Dominus, & plus quam angelicam cætatem. *Pulchra permixtio virginitatis, & humilitati,* exmat S. Bernardus. serm. 1. super missus est, nec medius placet Deo illa anima, in qua & humilitas commendat virginitatem, & virginitas exornat humilitatem. Ergo Lilium candidissimum cum S. Ephrem reverentialiter salutem *Ave lilyum convallum, & vallum fidelium, mundig salutem de laud, B. V.*

### CONCEPTUS III.

Arboribus homines Sapientia incarnata comparat, & fructibus cognoscendos esse definit. *Ex fructibus eorum cognoscetis eos.* Matth. 7. cap. *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventrus tui.* ait Elisabeth ad Virginem Dei Matrem. Lucæ. 1. cap. Quis est fructus ille benedictus in æternum? Iesus Christus, unigenitus Filius Dei, cui sapientissimus Regnus Salomon debiti honoris titulum subjunxit. Sap. 7. cap. *Candor est enim lucis æternae, speculum sine macula Dei Majestatu, & imago bonitatis illius.* Ex fructu Virginem Mariam cognoscetis fructus Virginis, Jesus Christus, candor est lucis æternae, Virgo Mater, lucidissimus sol erit, de quo candidissimus radix lucis æternæ exortus est Jesus Christus. Conceptui huic pretiocinatur S. Hieronymus, serm. 2. de Beata Virgine. Si dicitur

genter inspicias, nihil est omnino virtutis, nihilq; speciositatis, nihil candoris, & gloria, quod non ex eâ resplendeat, erat enim multis candidata meritorum virtutibus, & dealbatâ nive candidior.

### CONCEPTUS IV.

Sponsam suam de Libano oriundam Spiritus S. vocat. Cant. 4. cap. Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni uenaberis. Ut quid præ cæteris terræ locis, Libanum pro domo familiæ suæ Maria elegit? Libanum interpretatur S. Hieronymus, tom. 9. epist. 10. de Assumpt. B. V. ad Paulam & Eustoch. Candidum ut nix. Candorem nivis pro domo familiae suæ Virgo Dei Genitrix elegit, ut vel ab ortu immaculata, Virginibus, & Angelis castiorem, ac nive candidiorem esse intelligeres. Verba desuper. S. Patris percipiamus. Quidquid in eâ gestum est, totum puritas, & simplicitas, totum ueritas, & gratia fuit, totum misericordia, & justitia, que de celo prospexit, & ideo immaculata, quia in nullo corrupta.

### CONCEPTUS V.

De hâc eâdem sponsâ suâ canit denuò Spiritus S. Cant. 6. Una est columba mea, perfecta mea, una est Matri sua, electa Genitrici sua. An de spirituali Genitrice Virginis Spiritus S. loquitur? Quæ est ista? Spiritualis Mariæ Mater est gratia Spiritus S. Seminator casti Consilii in Scripturâ sacrâ Spiritus S. appellatur; pretiosissimum hoc semen casti Consilii, mundissimarum cogitationum, divinus seminator nulli creaturarum magis, quam sponsæ suæ Mariæ Virgini Spiritus S. largiter infervit. Doctissimè Idiota, de Contemplat. B. V. cap. 2. Adest tibi omnis gratia, naturalium bonorum, spiritualium charismatum, & caelestium donorum. Non ineptè Psellus relatus à Theodoreto. lib. 3. in Cant. Electa columba est una illa sola, que puritate profectò Cherubin, & Seraphin antecellit, que Christum genuit Virgo Mater, puella Maria.

CON-

## CONCEPTUS VI.

Sub pedibus Virginis lunam vedit Joannes Apocal. cap. 12. *Luna sub pedibus ejus.* Lunam luminare minus in Firmamento cœli Deus posuit, Gen. 1. cap. Cur ergo non supra caput Virginis luna cum stellis apparuit? Cur sub pedibus? Lunam inconstantem, maculatam vicissitudine obumbrat, ac decrescere novimus; ut ergo Joannes in Virgine, quam viserat, Mariâ maculam non esse, agnosceret, vedit lunam sub pedibus ejus, quæ tota est perfecta, tota immaculata, cuius testimonium reddit sponsus. Cant. 4. *Tot a pulchra es amica mea & macula non est in te.* In quæ verba scribit S. Laurentius Julianianus, serm. de Nativ. B. V. *Ipsam Spiritus S. custodivit a libidinis colluvione immunem, a libidinis delectatione experientiam, a seculi amore alienam, atque ab universorum criminum contaminacionem immaculatam: tota pulchra absque delicto, sine mentis, & corporis deformitate, Deo, & hominibus amabilis habebatur.*

## CONCEPTUS VII.

Rosæ in Jericho seipsum comparat Virgo Maria Ecd. 24. cap. *Quasi plantatio rose in Jericho.* Cur non lilio? ne simplici rosa? Quid speciale habet rosa in Jericho? S. Basilii lib. de verâ Virginit. docet, *Ægyptiis rosam, virginitatem gnum fuisse, rosæ itaque se comparat Virgo Maria, ut puritatem in eâ virginalem, imo & angelicam castitatem insegamus.* Rosa in Jericho reliquas rosas odore, decore, & colorum superat pluralitate, albi enim, rubei, & purpurei coloris est, & ut observat Richardus à S. Laurentio. 12. de laudib. Virg. *Folia habet centum & quinquaginta.* Maria Virgo in plantatio rosæ in Jericho, quia castitate candida, charitate rubea, humilitate purpurea, odore virginali, decore anglico, & meritorum pluralitate cæteras rosas, Virgines superiores & Angelos. Hæc mens est S. Anselmi de Excellent. B. V. cap. 120

Pura enim sanctitas, & sanctissima puritas piissimi pectoris ejus,  
omnem omnis creature puritatem incomparabili sublimitate  
transcendit.

Gloriosam cœli Reginam, in vestitu deaurato astantem à Epilogus.  
dextris Dei, videt in spiritu suo Prophetico Regius Psaltes. Asti-  
tu Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate.  
Plal. 44. *Aurea vestis casti animi ornamentum est.* perorat  
S. Gregorius Nazianzenus. *Altare auxiliantis est.* inquit Ri-  
chardus à S. Laurentio. Dignissimè ornata auxiliatrix nostra,  
castissima Virgo astitit à dextris Dei, in vestitu deaurato, cō  
videlicet fine, quem lacteis verbis assignat S. Bernardus. serm.  
de Assumpt. *Us efficaciter salutis nostra negotia pertractaret.*  
Mariam igitur devotissimè invocemus, ut potenti ejus auxilio  
freti, castitatem statui competentem servare, & sponso Virgi-  
num feliciter sociari mereamur. Amen.

*Sanctos mente pià superasti sancta Maria.*

*Castior existis, mentibus Angelicis.*

*Ergo Dei Genitrix, sis illis auxiliatrix,*

*Qui te sancte colunt, vivere castè volunt.*



g

D I.